



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de  
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de  
Matrimonio

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniae Agrippinae, 1671**

Art. III. An licitum sit pueros infidelium, nondum habentes usum liberi  
arbitrii, invitis parentibus baptizare?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

tamen cogi possunt ad servandam fidem, cum A<sup>1</sup> perveniunt ad adultam aetatem.

Sed contra responsionem Cajetani est, quod valida Baptismi suscepio constituit baptizatum, membrum & civem Reipublicae Christianae absque fide autem, atque adeo obligatione ad eam, nullus potest esse de numero membrorum & civium talis Reipublicae. Contra responsionem vero Sertii est, quod parvuli quando baptizati sunt, non potuerunt habere voluntatem Baptismi, neque voluntatem Baptismo contrariam, ac proinde non est mirum quod independenter ab eorum voluntate baptizari poterint valide, & consequenter pervenientes ad aetatem adultam, possint cogi ad nostram fidem. At verò adules quando baptizatur, vel saltem antequam baptizaretur, fuit capax propriae voluntatis circa Baptismum vel suscipiendum vel respiciendum, ac proinde debet valor ipsius Baptismi ab ea dependere, nec poterit cogi ab Ecclesia ad suam fidem servandam, nisi positive baptizari voluerit. Quam differentiam insinuat D. Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 24. his verbis: Cum pro parvulis alii respondent, ut impleatur erga eos celebratio Sacramenti, valet utique ad eorum consecrationem, quia ipsi pro se respondere non possunt. At si pro eis qui respondere potest, alius respondeat, non ad idem valet. Ex qua regula illud Evangelii diffinitum est, quod omnes, cum legitur, naturaliter manentem habet, ipse pro se loquatur. Ioan. 9.

Contra istam conclusionem objicit primò Cajetanus: Innocens III. in cap. Maiores supra citato, sic concludit: Tunc ergo characterem Sacramenti imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstitentem: Sed in homine cuius voluntas ad suscipiendum Baptismum est indifferens, contrariam voluntatem non invenit. Ergo absque positivo consensu, five intentione praesenti & praeterita, potest illi character Baptismi imprimi, proindeque validus Baptismus conferri.

Respondeo sensum illorum verborum quae favere videntur Cajetano, ex praecedentibus colligi debere, praemissis enim Pontifex, dormientes & amentes, quando baptizantur, characterem suscipere, si prius habuissent propositum baptizandi. Unde cum subdit verba praedicta, Tunc ergo characterem Sacramentalem imprimi operatio, cum obicem voluntatis contraria non invenit obstitentem, notationis Ergo, indicat sensum esse, Sacramentalem operationem imprimere characterem, cum non invenit obstitentem obicem voluntatis contrariae, ratione propositi praecedentis, quo virtualiter permanente, talis obex aufertur; idemque proinde est, ac si diceret, cum invenit obicem tantum per propositum recipiendi Baptismum, quod saltem in virtute remanet.

Objicit secundò: Quod non requiritur ad valorem Sacramenti in uno, non requiritur in alio ad eundem valorem: Sed in parvulis intentio positiva recipiendi Baptismum, non requiritur ad eius valorem: Ergo neque in adultis.

Respondeo primò, negando Majorem, nam in his quae, ut Sacramenta, à voluntate instrumenti dependent, ab uno in aliud non arguitur efficaciter.

Secundò distingo Majorem: Quod non requiritur in uno incapaci illius, non requiritur in alio similiter incapaci, concedo. Non requiritur in uno ad hoc apto, nego. Licet autem infantes sint incapaces propriae intentionis, non tamen adulti.

Tom. V.

Objicies tertio: Concilium Florentinum enumerans ea quae necessaria sunt ad perfectionem Sacramenti, dicit ipsum tribus perfici, materia, forma, & intentione ministri, nullam faciendo mentionem de intentione suscipientis: Ergo illa ad valorem Baptismi non requiritur.

Respondeo idcirco Concilium enumerando quae requiruntur ad perfectionem Sacramenti, nullam de intentione suscipientis fecisse mentionem, primò quia non in omnibus Sacramentis requiritur, nam ad conficiendum Sacramentum Eucharistiae non opus est suscipiente, neque ejus intentione: secundò, quia etiam in susceptione Baptismi, non requiritur intentio suscipientis, si sit parvulus, sed solum si sit adultus.

### ARTICULUS III.

*An licitum sit pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrii, invitis parentibus baptizare.*

#### §. I.

*Quibusdam praemissis referuntur sententiae.*

Notandum primò, non esse hic questionem, an Baptismus parvulis illis collatus, ratur & validus sit; idem omnes fere Theologi ut certum supponunt, contra Durandum, ratioque id evidenter demonstrat: Tum quia nihil tali Baptismo deest, quod ad essentiam Baptismi requiratur; est enim materia & forma debita, intentio ministri, & subiectum capax, ex cuius parte, cum sit infans, nullus actus voluntatis requiritur. Tum etiam, quia si pueri infidelium, non tum habentes usum rationis, occidantur, propter Christum, invitis parentibus, sunt verè martyres: Ergo cum martyrium suppleat vicem Baptismi (dicitur enim propterea Baptismus sanguinis) si baptizentur invitis parentibus, talis Baptismus erit validus. Solum ergo difficultas est & controversia inter Theologos, an licitum sit id praestare, & pueros infidelium, nondum habentes usum liberi arbitrii, invitis parentibus baptizare? Pro cuius resolutione.

Notandum secundò, hic non agi de filiis Haereticorum, Schismaticorum, vel aliorum baptizatorum, qui ab Ecclesia receperunt, quia certum est illorum filios, etiam invitis parentibus, licet posse baptizari: nam cum parentes eorum, ratione Baptismi, cogi possint ab Ecclesia ad servandam fidem veram, & praepcepta omnia, cogi etiam possunt ad baptizandos filios suos, eo tempore quo de more baptizari consueverunt.

Notandum tertio, infideles non baptizatos esse à ihuc in duplici differentia, quoad propositum; quidam enim minime subiecti sunt Principibus Christianis, alii verò eis subiecti sunt: quae subiectio potest esse, vel solum civilis & politica (qualem habent omnes vassalli ad suum Regem, cuius non sunt servi, vel mancipia) vel despotica & servilis, qualis est eorum qui iure belli, vel emptionis, vel alio titulo iusto, in potestatem Christianorum devenerunt. Si questio sit de filiis infidelium, qui nullo modo subditi sunt Ecclesiae, certum est, & ab omnibus Theologis admissum, illicitum esse, & contra jus naturale, eos invitis parentibus baptizare: etenim si infideles isti ad ea quae sunt de iure naturae compelli non possunt ab Ecclesia, vel à Principibus

pibus

pibus Christianis, defectu jurisdictionis in ipsos, multò minus ad professionem fidei supernaturalem, subindeque ad recipiendum Baptismum, vel ad consentiendum ut ipsorum filiis confertur, cogi possunt. Tota ergo difficultas est de filiis infidelium qui subditi sunt Christianis Principibus, primo aut secundo genere servitutis. Scitum enim in 4. dist. 4. quæst. 9. Gabriel ibidem quæst. 2. dubio 5. Dionysius Carthusianus in 4. dist. 4. qu. 7. Angelus verbo *Baptismus* 6. num. 11. & Villalobos tomo 1. Tract. 5. difficult. 15. num. 7. fatentur quidem non esse licitum privatis personis, eorum infidelium infantes, ipsis invititis, baptizare; docent tamen id esse licitum Principi, qui eos etiam civiliter tantum sive politicè subditos habet, imò teneri curam habere ut baptizentur omnes illi parvuli, cautelâ tamen adhibita, ut à parentibus separati, ad adultam ætatem pervenientes, ad eos non redeant, & periculo apostasie non exponantur. Capreolus verò, Marfilus, Catharinus, & Serra, è contra docent Principem, sive dominum Christianum, non posse parvulos infidelium, etiam serviliter ipsi subditorum, à parentibus invititis separare, & ita separatos baptizare. Cui opinioni favere videtur Cajetanus: imò Diana dicit esse sententiam D. Thomæ, & omnium Discipulorum ejus, in quo ipsum falli, & hallucinari, patebit ex infra dicendis.

## §. II.

*Duplici conclusione vera sententia statuitur.*

**D**ico primò: Non licet, publicâ etiam auctoritate Principis, vel Communitatis, baptizare, invititis parentibus, pueros infidelium, qui politicè tantum & civiliter sub sunt Ecclesiæ, seu Principibus Christianis. Ita Divus Thomas hic art. 10.

**61.** Probatur primò: nunc enim & olim Christiani Principes, atque ipsi Summi Pontifices, quibus Judæi multi jam à pluribus sæculis subditiuntur politicè, tale quid nunquam attentarunt: quod tamen non prætermisissent Principes multi & Pontifices sanctissimi, si id licitum existimassent. Præsertim, quia cum res ista sit gravissima, & in maximam cedat commoditatem parvuli, si esset licita, adeam teneretur Ecclesiæ ex charitate; sicut teneor audire confessionem hominis morti proximi, quando possum eam audire.

**62.** Probatur secundò: Si pueri infidelium qui politicè tantum & civiliter Principibus Christianis subduntur, invititis parentibus baptizarentur, vel consequenter eripiendi essent à potestate & cura parentum, ut inter fideles educarentur, vel apud ipsos relinquendi? Sed neutrum licet: Ergo nec eos invititis parentibus, sive privatâ, sive publicâ auctoritate baptizare. Major constat, Minor verò probatur: quia prius continet manifestam injuriam, est enim spoliare parentes jure naturæ quod habent in filios, qui sunt aliquid ipsorum, & in quos potestatem habent, quam diu rationis usu sunt destituti, nos minus quàm in boves & agnos quos possident: non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Posterius verò includit apertum fidei & profanationis Baptismi periculum, quandoquidem valde periculosum esset, ne parentes infideles illorum puerorum, eos contrariis ritibus coinquinarent, & Baptismo renuntiare cogerent, ubi primò ad adultam pervenissent ætatem: Ergo &c.

**A** Confirmatur primò: Jurisdictio civilis non potest subditis dominium reale aut qualitercunque agros: Ergo non potest Ecclesiæ abique invititis illorum infidelium, ab ipsis parentibus invititis separare, & baptizare.

Confirmatur secundo: Vel potestas baptizandi illos parvulos, invititis parentibus, manet per Principes Christianos, ex ipsa natura potestatis auctoritatis quam habent in sibi subditos civiliter, vel ex speciali Christi concessione? Non secundum, utpote quod non potest colligi neque ex Scriptura neque ex traditione. Nec primò quia auctoritas civilis dominorum temporaliū, dimanans ab hominibus, non se extendit ad supernaturalia, inter quæ continentur Baptismus, sed intra bonum commune naturale civis, ac reipublicæ commodum temporale sistit. Ergo &c.

Ab hac communi & generali regula tres casus excipiendos esse existimo. Primus est, si parentibus infidelibus vir ad fidem convertatur, uxor in infidelitate permaneat, filius, pater consentiente, baptizari potest, etiam si mater infidelis renuat; ut decrevit Gregorius IX. in cap. Ex litteris de conversione infidelium. Similiter si contra uxor ad fidem convertatur, viro in infidelitate manente, baptizandus erit filius, mater consentiente, etiam si pater renuat, ut statuit Concilium Toletanum 4. relatum in cap. 28. quæst. 1.

Secundus casus est, quando pueri aliquando infidelium, sive per fas, sive per nefas, à parentum custodia & præsentia intantum sunt abstrahi, ut nulla spes reditus illorum ad ipsos moraliter spernit, sicut plerique accidunt quos mercatores remotissimis regionibus transferunt, tunc enim consuevit Ecclesiæ baptizare: licet enim in tali casu baptizentur, nulla sit eorum parentum injuria, quia quoad ipsos velut mortui supponuntur, sed ex facta fortè aliâ, boni illorum intuitum captatur occasio.

**D** Tercius casus est, cum puer infidelium prodetur statim absque ulla spe vitæ mortuarius, enim si baptizari possit occulte, aut sine magno parentum tumultu, undè timeantur gravia scandala, baptizandus est: quia in eo casu neque injuria parentibus, quandoquidem eis non eripitur infans per Baptismum, sed per mortem, cum nulla (ut suppono) sit spes vitæ longioris ipsius, neque infans ille periculo apostasie exponitur.

Dico secundò: filios servorum seu mancipiorum infidelium, invititis parentibus, baptizare licet: Ita docent communiter Thomistæ, Cajetanus, Soto, Ledesma, Nunno, Cabrera, Corderius, & alii, quos citat & sequitur Martinez à Prado hic dubio 7. §. 6.

**E** Probatur primò ex D. Thomæ hic art. 10. ad 2. ubi ait filios Judæorum, non obstante servitute parentum, non posse illis invititis baptizari, quia eorum servitus est tantum civilis. Ergo supponit quod si Judæi essent servi servorum mancipiorum & captivorum, possent licite eorum filii ipsis invititis baptizari.

Probatur secundò ratione: Servi seu mancipii sub sunt dominio reali, unâ cum filiis, nec potest dominus pro suo libito, vel apud se retinere, vel aliis vendere, vel etiam à se invicem separare retinendo filios, & distrahendo parentes, vel è contra: facta autem illa separatio, cessat periculum apostasie respectu parvulorum, cessat

cessat etiam injuria, ratione domini: Ergo filios vernarum seu mancipiorum infidelium, invitis parentibus baptizare licet.

Confirmatur: Quamvis parentes jure naturali sine liberi, tamen jure gentium privantur libertate: Ergo similiter licet jure naturali habeant potestatem supra parvulos suos, jure tamen gentium ea privantur: Ergo potest dominus filium sui mancipii, per venditionem, aut donationem, a parentibus separare, eo sine ut baptizetur si enim ob quemcumque finem honestum, vel pro sola utilitate sua, id potest; cur etiam id non poterit propter Baptismum tali parvulo conferendum.

Neque verò tantum potest dominus, sed etiam tenetur, per se loquendo, sua hujusmodi mancipia, sive domi nata, sive bello justo capta, sive empti, baptizare in infantia; & christianè educare: quia parentes Christiani hoc debent suis liberis: dominus autem succedit in jus & curam parentum. Et confirmatur ex illo Apostoli Ad Timotheum. 5. *Si quis suorum, & maxime dominorum, curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior est.* Dixi per se, quia ratione circumstantiarum potest excusari, ut si id nequit sine magnis incommodis aut difficultatibus: cum enim illi non sint in extrema necessitate salutis, non tenetur eis ita subvenire, neque cum pari obligatione in jus & curam parentum succedit. Hinc excusantur milites, qui filios infidelium redimi sinunt, quia non possunt eos alere sine magnis difficultatibus & incommodis.

## §. III.

## Solvuntur obiectiones.

Obijcies primò contra primam conclusionem: Potest imò debet præceptum superioris servari, non obstante voluntate contrariâ inferioris: Sed hoc quod est pueros baptizari, est præceptum Dei, hoc verò quod est parentem infidelem non consentire tali Baptismo, est voluntas inferioris Deo. Ergo non obstante tali voluntate in infidelibus, possunt eorum infantes licite baptizari.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Quando plurium dominorum invicem subordinatorum voluntates contrariæ sunt, voluntati supremi obtemperari debet, tamen si repugnet voluntati inferioris, ut docet Augustinus libro 2. de natura boni dicens: *Si illud iubet potestas quod non debet facere, hic sanè contemne potestatem, timenda potestatem maiorem;* quod ibidem declarat exemplo de Curatore & Proconsule, de Proconsule & Imperatore, ac de Imperatore & Deo: Sed dominium parentum in filios est inferius, & subordinatum supremo Dei dominio. Ergo cum Deus jubeat ut omnes baptizentur, debent pueri infidelium, invitis etiam ipsorum parentibus, baptizari.

Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Debet præceptum superioris servari, non obstante voluntate contrariâ inferioris, si superior velit ut suum præceptum observetur, non obstante voluntate & quocumque jure inferioris, concedo Majorem. Si superior velit ut præceptum a se impositum servetur, sine violatione juris inferioris, nego. Ita autem contingit in proposito, Deus enim præcipiendo, ut omnes etiam parvuli baptizentur, vult hoc præceptum observari, sine violatione juris naturalis quod

Tom. V.

A pater habet in prolem, quia gratia non destruit sed perficit naturam.

Similiter ad confirmationem distinguo Majorem: Quando plurium dominorum invicem subordinatorum voluntates contrariæ sunt, voluntati supremi obtemperari oportet, licet repugnet voluntati inferioris, si supremus jubeat obedi sibi, etiam repugnante inferiori contra violationem juris naturæ in sua persona, concedo Majorem. Si instituat ita sibi obediendum, ut nihil contra jus naturale, & oppositionem inferioris agatur, nego Majorem. Licet autem Deus qui juris tam naturæ quam gratiæ author est, statuere potuerit, ut ad jus gratiæ servandum ac magnificandum tanquam superius, naturæ jus si opus esset violaretur, hoc tamen noluit, imò potius, cum disponat omnia suaviter, & gratia non destruat sed perficiat naturam, voluit ut per ea quæ spectant ad fidem, & ad ordinem gratiæ pertinent, nulla in jus naturæ fieret irruptio. Hinc Christus conferens Ecclesiæ potestatem prædicandi Evangelium ubique Gentium, non ei auctoritatem dedit, quâ minis, armis, & vi, ad Baptismum suscipiendum infideles cogeret, neque misit Apostolos ut milites armatos, cum seculari potentia, sed inopes, absq; armis, & virga, qui suasionibus, mansuetudine, beneficiis, miraculis, & exemplis homines allicerent, & ad Christum Redemptorem ducerent, ut docuit Concilium Toleranum 4. Et hoc quidem rationabiliter: Primò quia cum ad fidem internam nemo cogi possit, lex Evangelica quæ non nisi per fidem corde suscipitur, vi, injuria, metu, aliisque ejusmodi violentiis non propagaretur. Secundò, quia cum intentio Christi esset persuadere universo orbi fidem, non qualemcumque, sed eam quæ per solam dilectionem operatur: charitati autem sive dilectioni, nihil magis sit adversum, quam vis, injuria, & metus, congruum fuit ut ad eam nemo ejusmodi violentiis cogere tur. Tertiò, ne fides quæ naturalis rationis vires excedit, per violentiam Gentibus prædicata, exosa fieret, & quasi tyrannis existimaretur, ac diaboli figmentum rationi repugnans. Quartò, ut hac excellentiâ lex nostra, cum Mahumeti perfidia comparata, resplenderet: ista enim tanquam quæ nullâ ratione persuaderi poterat, vi & armis in mundum obruta est: nostra verò fides, per homines inermes, & mites, solâ veritatis vi ac energiâ, mundum vicit, & Philosophos ac Imperatores debellavit. Unde egregiè Chrysostomus serm. 3. Pentecostes: *Peragrarunt Piscatores orbem terrarum, & infirmum eum inventientes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruinâ positum, ad stabilitatem revocaverunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, sed regnum celorum possidentes, non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum.* Peragrarunt universum orbem oves simul cum lupis, & vulnerata à bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.

Obijcies secundò: Licet parentes infideles habeant dominium in suos filios, potest tamen princeps subditos, subjectione etiam duntaxat civili, privare tali dominio, quando eo abutuntur: Sed infidels nolentes suos filios baptizari, abutuntur dominio quod habent in ipsos, contra honorem Dei, & parvulorum salutem: Ergo poterunt privari tali jure, & consequenter

T ij

eorum

eorum infantes licite baptizari.

77. Confirmatur primò: Si parens vellet interficere filium, posset infans justè non obstante jure naturæ quod habet in eum, vi eripi: Ergo multò magis si nolit eum baptizari, salus enim animæ præferri debet vitæ corporis.

78. Confirmatur secundo: Potestas defendendi innocentes, jure naturæ competit principi, imò & cuilibet particulari. Sed pueri sunt innocentes, & patiuntur maximum damnum, si non baptizentur: Ergo jure naturæ licitum est principi eos baptizare, & si opus fuerit, de potestate parentum eripere.

79. Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: Potest princeps privare subditos dominio quod habent in filios, quando illo abutuntur contra jus naturæ, vel civile, concedo. Quando eo abutuntur contra legem supernaturalem, qualis est quæ obligat ad baptismum, si sint infideles, nego. Cum enim potestas civilis sit merè naturalis, & ab hominibus dimanans, non potest extra jus naturæ se extendere ad legem supernaturalem, ejusque observantiam, sed hoc pertinet ad aliam potestatem superiorem, quæ est immediatè à Deo, nimirum ad potestatem juri dictio- nis spiritualis, primò & per se & cum tota plenitudine residentis in Summo Pontifice, cui cum infideles non baptizati non subdantur, consequens est eos à nullo principe posse privari jure & dominio naturali quod habent supra filios, quando eo contra legem supernaturalem, & parvulorum salutem abutuntur. Ex quo facile solvitur prima confirmatio, & intelligitur ratio quare si contingeret quod pater infidelis vellet occidere filium, posset privari jure quod habet supra illum, & ab ejus potestate eripi, & tamen non possit tali jure privari, ex eo quod non vult permittere ut baptizetur: volendo enim eum occidere, peccaret contra jus naturale, cujus cura per se pertinet ad principem temporalem, at verò ex eo quod nolit permittere ut baptizetur, peccat contra jus supernaturale, ad cujus defensionem potestas secularis non se extendit. Unde

80. Ad secundam confirmationem, distinguo Majorem: Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus quæ jure naturæ sunt ipsis debita, convenit principi, imò & cuilibet particulari, jure naturæ, concedo Majorem. Potestas defendendi innocentes contra damnum in rebus supernaturalibus, nego Majorem. Damnum enim supernaturale, non est contra justitiam naturalem, neque contra finem politicum, proindeque vindicari non potest ab eo qui solum habet potestatem politicam. Similiter distinguo secundam partem Minoris: Pueri, si non baptizentur, patiuntur maximum damnum, in rebus jure naturæ ipsis debitis, nego Minorem. In rebus supernaturalibus, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

81. Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Dominium quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad supernaturalia: Sed baptizare parvulum est aliquid pertinens ad ordinem supernaturalem: Ergo dominium quod quis habet in captivum, vel in mancipium, non dat illi jus ad baptizandum ejus filium, ipso invito & renuente.

82. Respondeo hoc argumentum solum probare dominium quod quis habet in captivum non importare immediatè & per se auctoritatem ad baptizandos ejus filios, ipso invito, sed tantum quasi

A per accidens & secundariò: licet enim illud gentium quo captivi mancipantur, per se rectè ad supernaturalia non pertinet, imò tamen & quasi per accidens ad ea se extendendo facultatem separandi per donationem aut venditionem filios à parentibus, eo sine utroque zentur.

Dices, per donationem aut venditionem non auferitur à patre servus jus paternum: Ergo sine jura patriæ potestati, cum ipso invito, filii baptizantur.

Respondeo quod jus radicale non auferitur à patre per venditionem aut donationem, sed auferitur jus proximum & expeditum; & sic sine fine temporali licet potest hoc jus impediri, tamen magis sine spirituali & supernaturali, cujus temporalia & transitoria subvenire debent.



## DISPVATIO IV.

### De Effectibus Baptismi.

Ad questionem 69. Divi Thomæ.

C Considerata causâ Baptismi effectivâ, & subjeclivâ, consequens est ut de virtutibus ejus effectibus differamus, & quædam S. Thomas quæst. 69. breviter exponamus.

#### ARTICULUS PRIMUS.

Quinam sint effectus Baptismi?

D Ico primò, omnia peccata tolli per baptismum.

Conclusio est certa de fide, ac definita Florentino in decreto unionis, ubi de Baptismo dicitur: Huius sacramenti effectus est remissio omnis culpe originalis & actualis. Id etiam aperte docent SS. Patres: Augustinus enim libro 1. de peccatorum meritis cap. 15. hæc scribit: Genus carne tantummodo trahitur peccatum originale: generante autem Spiritu, non solum originale, sed etiam voluntarium sit remissio peccatorum. Similia habet Cyprianus, vel auctor sermonis de ablutione pedum, ubi de Baptismo ait: à abdito & secretissimo Spiritu Sancti munus, sua gratia liquor emundat, sic lavans quæ parentis labe infecerat: ut neque actualis nec originale culpa vestigia relinquat.

Idem docet S. Thomas hic art. 1. ubi nostram conclusionem probat in argumento sed contra, ex illo Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Quem locum S. Hieronymus libro 1. & D. Cyprianus libro 4. Epistola 7. & S. Ananias Epistola ad Serapionem, Theodoretus, & alii, de aqua Baptismi exponunt.

In corpore verò articuli sic discurrit: Per baptismum moritur homo vetustati peccati, & incipit vivere vitæ gratia, ut docet Apostolus ad Romanos 6. Sed omne peccatum ad pristinum verbum pertinet: Ergo per baptismum tollitur omne peccatum. Hinc SS. Patres, & Scripturæ Interpretes, docent transitum filiorum Israel per mare rubrum, quandam fuisse Baptismi figuram sicut in mari rubro hostes à tergo filii Israel persequentes, submersi sunt in aquis maris: ita in aquis Baptismi suffocantur & dantur